

Compte rendu des séances des États du Brabant

de 1648 à 1682

par Libert de Pape, abbé du Parc, membre des États

(Suite *)

28 Junii, Gubernator per D. Oignate curavit reddi scriptum seu deductionem de qua 25 Junii, dicens, Gubernatorem non magni facere munus Praelatorum et Nobilium, et illum non esse modum tractandi, ipsum autem non approbare quod Teillo scripsisset officialibus de ordinaria praecaria.

Deinde gubernator petiit a Civitate Bruxellensi, anticipari super futuro subsidio, summam 100^m flor. et Magistratus, accordavit 70^m et latum consilium 60^m : nationes 1 Julii adhuc deliberarunt.

30 Junii, Gubernator petiit a quarterio Bruxellensi, anticipationem super futuro subsidio 80^m flor. cum assecuratione exemptione (sic) ab hospitalione Militum pro uno anno — et quod eorum solutio cessaret quando gubernator cum Statibus convenisset.

En marge : Nota. haec 20 millia placquiliarum, per annum duodecies centum millia florenorum.

1^a Julii, Scripsit gubernator Epistolam statibus, qua indicabat se non posse acceptare oblationem 16^m placquiliarum pro 9 mensibus etc. de qua 18 et 19 Junii, sed debere habere 20^m placquiliarum ad ratam 4 stuferorum, idque pro 10 mensibus, et annuebat quod excrescentia impostarum detractis ordinariis oneribus illis influerent, et simul etiam 100^{mus} et 50^{mus} nummus redituum, et reliquum inveniretur per emissionem taxarum omnium bonorum tam amortisato-

*) *An. Praem.*, XXIX (1953), 111-128, 251-288; XXX (1954), 60-122; XXXV (1959), 103-152, 284-300. L'édition de ce manuscrit fut commencée par P. Lenaerts (†); elle est continuée par Fr. Breuls de Tiecken, O. Praem.

rum quam feudalium absque ulla exemptione, et quod in solamen ruralis patriae imponeret licentia (sic) juxta edictum Anni 1654.

f^o 144^{vo}. — En marge : « adjunct garde de chartres ».

2 Julii, D. Barco de Goyck fecit in statibus juramentum uti adjunctus custos chartarum Brabantiae, cum supervidentia D. Stockmans qui erat custos chartarum.

Item D. Demant ²³⁵⁾ fecit juramentum observandi laetum introitum tanquam Consiliarius Concilii Brabantiae supernumerarius.

Item resolutum ut D. Abbas Vlierbacensis et Baro de Goyck una cum Graffario adirent gubernatorem pro habenda aliqua elucidatione hesternae Epistolae.

3 Julii, Mane retulerunt Gubernatorem non posse admittere defalcationem trium millium placquiliarum pro solutione debitorum status, eo quod aliqui ipsi indicassent, debita illa non esse legitima, et quod 16 millia placquiliarum addicta factis diminutionibus praetensis per status, tantum devenirent ad 7 millia placquiliarum, et cum nostri deputati aliter ei persuadere niterentur, petiit ut darent responsum scripto, et quod amplius dare deberent quam 13 millia et quod ad minus deberet habere 16 millia placquiliarum limpio et sine ulla defalcatione.

Desuper rogati deputati Civitatum pro adviso, responderunt ut adhuc 2 vel 3 millia placquiliarum superadderentur potius quam permetteretur ruralis patria diutius onerata hospitacione militum, hinc nobiles voluerunt consentire 16 millia placquiliarum limpio, sine ulla defalcatione, et quod debita statuum seu interessae illorum solveretur ex impostis, Abbates noluerunt tam alte ascendere praetendentes hoc esse impossibile solvere, in praesenti statu patriae nimis extenuato — ex eo quod sic deberent solvi — in toto 19 millia placquiliarum, et tria millia deberent relinqui pro solutione debitorum statuum, et sive illa solverentur ex impostis, sive impostae influerent in placquillias, hoc esse indifferens.

Post meridiem iterum congregati Abbates et Nobiles hi pluralitate votorum persistebant dare Regi 16 millia placquiliarum limpio sine ulla defalcatione, Abbates ad summum volebant limpio dari 14 millia placquiliarum, et cum hi persisterent, et Nobiles illos

²³⁵⁾ De Man (Corneille), seigneur de Watermael et d'Auderghem, ancien échevin et trésorier d'Anvers, fut nommé conseiller surnuméraire expectant par lettres patentes du 21 avril 1668, moyennant un don de douze mille florins, succéda en 1669 à Le Bailly en qualité de conseiller ordinaire et mourut le 11 mai 1700. (GAILLARD, o. c., t. III, p. 362).

f° 145. — in suam opinionem trahere non possent, inceperunt culpae Abbates, quod ipsis imputaretur omnis deordinatio secutura quod cogentur Gubernatori indicare, defectum consensus esse in Abbatibus, quod Abbatiae bene forent castigandae, et particulari taxatione per gubernatorem facienda, insigniter essent gravandae et similia etc.

tum ego dixi Abbates stare pro ratione, et praesentarent adhuc amplius quam patria solvere poterit, quod si nobiles seposita ratione, velint agere secundum suum zelum et illum extollere supra zelum Abbatum, me in nullo alicui cedere velle in zelo serviendi Regi nostro et tantum daturum quam ullum illorum, et proinde me consentire in 20 millia placquiliarum quas gubernator petierat, et induxi reliquos Abbates ut hoc ipsum consentirent, quod et fecerunt; ad quod Nobiles heserunt, et ubi antea dixerant se non posse diminuere de suo consensu, ut abbatibus consentirent, respondimus nos jam etiam diminuere nolle, ipsi nobiscum convenirent si vellent; si nollent, nos omnia argumenta quae contra nos allegaverant, contra ipsos allegaturos; hinc Abbatibus consentire debuerunt, ut nimirum darentur 20 millia placquiliarum ad ratam 4 stuferorum, et 3 aut 4 millia defalcaretur pro solutione debitorum statuum, et impostae influerent in solutionem illarum etc. et sic circa medium novae vespertinae congregatio primum soluta fuit.

En marge : Nota. Anno 1669, 10 Aprilis in congregatione deputatorum, Baro de Wemmel ultro factus fuit hoc subsidium 20 millium placquiliarum etc. fuisse mere extortum et juxta constitutionem provinciae, unde nobis congratulari debere quod non fuerit complete accordatum etc. et tamen ipse unus ex principalioribus erat qui illo tempore Abbates culpabat quod non tam alte quam nobiles ascendere vellent. Memoria.

4 Julii, Ante meridiem Nobiles convenerunt cum Abbatibus in una opinione, quod accordarentur 20 millia placquiliarum pro 10 mensibus in anno; et ego dixi, Abbates hoc non tam consentire, quam succumbere voluntati gubernatoris qui per hospitalitatem militum in rurali patria ad hoc nos cogebat, cum non intenderet patriam exonerare, nisi voluntati ejus acquiesceremus, et protestatus sum quod executionem illius non inveniremus, et forte duos aut tres menses solveremus, sed finem non inveniremus.

f° 145^{vo}. — En marge : « 20 durent rations ».

5 Julii, Praefata opinio redacta est in ordinem et conditionatum quod dicta 20 millia placquiliarum, invenirentur ex impostis « Nie-

mant vrij », detractis primo ordinariis oneribus, deinde ex 20 nummo omnium reddituum hypothecatorum et 40 nummo reddituum vitalium, et residuum inveniretur in patria rurali per impositionem 20 nummi super omnia bona « volgens de hemelse breijde » sine ulla exemptione bonorum amortisatorum, feudaliū aut aliorum, et in Civitatibus eo modo, quo in patria rurali.

Sed ne Civitates in nummo 20 turbarentur, resolutum fuit ut hoc teneretur in mente curiae et notaretur in registro, et tantum in opinione exprimeretur, quod residuum inveniretur super rurali patria « volgens de hemelse brijde ».

Nota. Item Nobiles accordarunt Abbatibus, quod in sequendo praefatum pedem, Abbates non deberent solvere suam quotam seu taxam quam distinctim solebant solvere a secularibus, et quod hujus resolutionis teneretur nota in registra, et mihi daretur extractum.

Post meridiem dicta opinio coram vice cancellario aperta et lecta est, cum nostri deputati praevie convenissent gubernatorem, quod 3000 placquiliarum ex 20 millibus retineretur a Statibus pro solutione suorum debitorum, et in impostis nemo eximeretur; quod admisit.

14 Julii, per vice cancellarium acta acceptationis allata est conformis nostrae opinioni praefatae — et ne in ea erraretur nos ipsi per graffiarium Bouton illam praeformaveramus, sed ad impletionem diversarum conditionum gubernator in acta acceptationis ponere noluit. ne ad hoc per status quasi adactus fuisset, sed voluit edere placetum seorsim continens directionem militum etc.

Magistratus Bruxellensis retulit Statibus se gubernatori accordasse 60 millia flor. de quibus supra 30 Junii, danda per anticipationem super subsidio proposito, et quia gubernator reinstat pro habendis 100 millibus, magistratum illos accordasse et sperare se quod reliqua membra sequerentur, et se paratos esse Receptori statuum per anticipationem numerare 25 millia flor. ad hoc autem adigebantur per Hispanos milites qui ad 2000 jacebant in suburbiis suis, et hac ratione illos delogeare (sic) putabant.

fº 146. — Gubernator per plures dies et status magistratum Bruxellensem sic duxit et promisit, quod dum pecuniae paratae essent pro solvendo uno mense, tunc militem ex patria rurali retraheret, qui jam ab initio Junii per illam dispersus erat.

19 Junii, Incepit magistratus pecunias numerare, et deputati statuum iverunt ad aulam nuntiaturi gubernatori, quod pecuniae paratae essent, et gubernator asseruit, mandatum esse datum Magistro

quarteriarum ad expediendos ordines ; facta autem informatione respondit Magister quarteriarum se nullum mandatum recepissee, hinc

20 Julii, iterum deputarunt, nuntiaturi gubernatori, quod si patriam ruralem non exoneraret, se coactos fore, congregationem statuum (quam plerique deseruerant sub promissione data) etiam deserre eo quod opinionem eorum mutare non possent, et praestare non valerent quod promiserant, stante diutius ruralis patriae hospitalione.

Quia autem hesternae die deputati fuerant Abbas Diligemensis, et Baro de Dongelbergh, et gubernator tantum appellaverat Graffiarium et deputatos reliquerat foris stare, resolutum est, ut quando plures essent simul deputati, et si unus inter illos a gubernatore tantum appellaretur, hic responderet se non habere commissionem quidquam dicendi, nisi in praesentia condeputatorum.

22 Julii. Resolutum per duos primos status ut resileretur a conditione appositae « van Niemant vreij » in consensu impostarum termini elapsi, prima junii, de qua supra 14 novembris 1667 et 19 et 28 januarii et 23 februarii 1668 et 2 et 5 martii.

24 Julii, Lustratum est in parcho Bruxellensi, regimentum Hispanorum de la Hourta, constans 2000 hominum, et gubernator petebat a statibus 30 millia flor. pro solutione ejusdem, quae numerata sunt sub conditione quod conditiones in consensu 20 millium placquiliarum appositae observarentur quod gubernator deputatis nostris promisit, qui fecerunt nobis relationem in sacristia Ecclesiae de Caudenberge ubi expectabamus relationem.

Eodem die promiserunt milites quasi retrahere patriam ruralem.

f^o 146^{vo}. — 25 Julii. En marge : Hospitio Lovanii.

Miserunt status deputatos ad gubernatorem pro facienda aequali distributione militum per civitates Brabantiae, et ne Lovanium et universitas excessivo milite hospitaretur, uti spargebatur ; ad quod respondit, sibi competere militum hospitalionem, non velle eam partire cum statibus, servitium regis requirere ut Lovanii, 4 aut 5 millia militum ponerentur ; nunc non requiri studiosos sed milites, et quod si aut studiosi aut cives aliqui abirent tanto plus loci relinqueretur pro militibus — et indicabat plures milites in Brabantia velle locare quam importabant 20 millia placquiliarum.

Desuper facta relatione in Statibus, resolverunt, instandum esse pro habenda lista militum quos in Brabantia intenderet collocare.

En marge : 6 Augusti.

Post diversas tandem instantias factas apud gubernatorem pro

exoneratione ruralis patriae, ab hospitatione Militum tandem 6 et 7 Augusti retrahi ceperunt, et hospitatio coepta est — apud Lovanem Braeck etc.

11 Augusti. En marge : Licenten.

Deputati ex magistratu Antwerpiensi exposuerunt Gubernatorem imposuisse licentia super mercimoniis et actu levare in fortalio super Scaldim dicto de Marie, hinc plebem Antwerpiae alteratam esse, subsidium propositum non accordandum, et impostas verosimillime abrogandas, et elapsi termini, a receptore statuum repetendas, ac necessitatibus civitatis applicandas ; hinc petebant, ut Abbates et Nobiles se eis jungerent, pro abolitione impostarum.

Deputati responderunt, hoc debere proponi statibus generalibus, et ideo non debere suspendi aut negari consensum in subsidium sed illud consentiri posse cum conditione abolendi, licentia ; interim ipsi possent per se adire Gubernatorem et proponere eidem quas haberent proponenda etc.

13 Augusti. Reversus sum Parchum.

f^o 147. — 13 Augusti. En marge : « Impost niemant vreij ».

Gubernator scripsit Epistolam statibus, qua mandabat ut omnes qui hactenus fuerant ab impostis exempti, easdem solvere deberent a prima Junii elapsa, et ut nullis permetterent sequi scedas libertatis etc. Cum clerici impostarum dictum mandatum exequerentur,

13 Septembris, Secretum concilium relaxavit mandatum, praecipiens clericis impostarum ut scedas libertatis scriberent requisiti, pro exemptis ab impostis sub poena 300 flor. si recusarent et in mora manerent, desuper status resolverunt, dicto mandato a clericis impostarum non esse optemperandum, et desuper informandum esse gubernatorem. 15 Septembris.

En marge : Litterae reginae Hispaniae.

Lectae sunt litterae reginae Hispaniae, quibus significabat se destinasse Belgium Joannem Austriacum, et cum putaret illum jam eo devenisse, postquam in portu de Coroigna plurima consumpsisset, scripsisse excusationem itineris propter defluxum catarrhi, quam quia estimabat non sufficientem, illum relegasse ad suum prioratum cum inhibitione ne ad distantiam 20 milliarum accederet Madritum ; et loco illius se misisse Conestabulum Castiliae et Leon²³⁶) et dedisse licentiam Marchioni de Castel Rodrigo revertendi in Hispaniam.

²³⁶) Don Inigo Fernandez de Vilasco y Tavar (PIRENNE, o. c., t. V, p. 24).

Dictus autem Conestabel appulit Ostendam 13 hujus, et 14 eum convenit Castel Rodrigo Brugis — qui deinde simul per Brugas et Gandavum venerunt Dendermondam et inde Mechliniam, Conestabel mansit Mechliniae, et Castel Rodrigo 21 Septembris in meridie reversus est Bruxellam.

Deinde ferebatur rumor quod dictus Conestabel intenderet militem distribuere per ruralem patriam, hinc Princeps de Baden qui turmas suas circum Lovanium et in pagis ibidem habebat, anxius ne inchoata solutio turmis suis facta suspenderetur aut alibi diverteretur, apud me et D. Baronem de Goyck institit, ut Marchionem rogaremus, quatenus patria non excederet, priusquam nostrum consensum super subsidio praestitum, et conditiones appositas, cum D. Conestabele firmaret, in quem finem

25 Septembris, deputati nostri accesserunt Marchionem, qui respondit

f^o 147^{vo}. — se contentum esse, et omni modo intendere succurrere bonis intentionibus nostris, sed hoc ipsum peti debere a D. Conestabele, an operam suam gratam haberet.

Item rogarunt gubernatorem quatenus stabiliret numerum militum cui solveremus, juxta ratam 17 millium placquiliarum.

26 Septembris, In statibus resolutio Marchionis relata est, et deputati sunt versus Conestable Mechliniam D. Abbas Vladderbaccensis D. Comes de Firteyn, et burgimagister Bruxellensis, cum graffiaro — qui assensum illius peterent.

Et ego cum barone de Goyck deputatus sum ad Marchionem pro componenda ordinatione, ad faciendam aliquam anticipationem pro militibus, qui jacebant in Brabantia, et Marchio aiebat, ut vellemus solvere anticipate pro 8 diebus, quibus jam antea bis succursum dederamus.

Item proposuimus Marchioni, qualiter jam per annum petissemus licentiam, mittendi aliquem in Hispaniam, et rogabamus, quatenus id modo vellet concedere; annuit et dixit se epistolam nobis missurum, et datam anticipatarum.

26 Septembris, Post meridiem praefata retulimus in congregatione statuum et placuerunt.

27 Septembris. En marge : Valedictio marchionis Castel Rodrigo.

Status Brabantiae valedixerunt Marchioni de Castel Rodrigo gubernatori jam abeunti, erant 3 abbates, 6 nobiles, burgimagistri

Bruxellensis et Antwerpiensis ²³⁷⁾ cum suis pensionariis ; Lovanienses non aderant.

Nota. Praeter solitum omnes qui illo mane in statibus adfuerant, simul adiisse, quia diversi in particulari, ei studebant valedicere, et difficulter alias potuissent obtinere accessum.

Simul retulimus illum respondisse Conestabulum, se necdum esse in regimine, prout autem esset quod tales remonstrantias possent status ei exhibere, prout judicarent expedire, et si marchio de Castel Rodrigo super reglemento et militum intertentione ei vellet loqui, quod hoc gratum illi esset futurum etc. ad quae marchio replicavit

f^o 148. — se nihil eorum omissurum quae pro conservatione patriae poterunt conducere, et bonam relationem in Hispania facturum etc.

28 Septembris, In statibus ultimate resolutum fuit, adhucolvere... cuique regimento, cui hactenus solverant, mille quingentos florenos etc. donec cum D. Conestabulo novo gubernatore ultimate ordinatum esset, de militibus, quibus solveremus.

Post meridiem D. Baro de Wemmel qui aliquot diebus nunc adfuerat, et nunc abfuerat, a congregationibus, suspicans clam se, aliqua tentari pro missione alicujus in Hispaniam protestatus est de nullitate omnium actorum ab hinc 5 aut 6 diebus ; ego illi respondi statum non dependere ab ipsius presentia, et me accipere in notitiam illius protestationem, replicabat, *quod esset sapientior me*, quod illum non deberem instruere etc.

Vesperi adivi D. Gubernatorem Castel Rodrigo, et mihi communicabat intentum suum, de mittendo in Hispaniam ex parte statuum, D. Baronem de Goyck, et addixi, ego, quod primum statum ad hoc inducerem, et sperarem quod deputati Civitatum etiam in hoc consentirent, sed putarem quod nobiles inter se divisi futuri essent — Hinc gubernator mecum contulit de epistola ea in re scribenda statibus etc.

Item suasit ut die crastino illum invitarem Mechliniam et simul cum illo ageremus apud D. Conestabulo, novum gubernatorem, super reglamento militum etc.

29 Septembris, Una cum D. Barone de Goyck et D. burgima-

²³⁷⁾ Il y en avait deux: Henri van de Werve et M. Jean Snyers (BUTKENS, o. c., Sup. II, p. 128).

gistro Antwerpiensi, et graffario Bouton reda conductitia tetendimus Mechliniam, hospitium sumpsimus, in Casside, et ego in Leliendael.

30 Septembris, Ante prandium locuti sumus D. Castel Rodrigo qui respondit se post meridiem locuturum conestabulo.

Prima Octobris, Rursum ante prandium locuti sumus Castel Rodrigo, qui respondit, se locutum fuisse conestabulo, et post meridiem conclusuros et jussit nos expectare Mechliniae in diem crastinum et eadem vespere resignavit Regimen Conestabulo — et tradidit D. Goyck epistolam statibus inscriptam continens licentiam mittendi aliquem in Hispaniam etc.

2 Octobris, Ante prandium dixit heri conclusum esse ut omnes milites distribuerentur

f^o 148^{vo}. — in parvis civitatibus et locis conclusis, et remisit nos ad Conestabulum ut peteremus cito fieri executionem.

Item privatim mihi locutus est de praetentione mei fratris, (voir note 125) et spopondit se facturum etc. et per me curavit vocari baronem de Goyck, quod traderet illi minutam epistolae scribendam Reginae Hispaniae ex parte statuum Brabantiae, et quod D. Goyck desuper mecum communicaret, et ultimum vale mihi dabat — et interim cum D. Baro ageret cum Castel Rodrigo et ab eodem detineretur in mensa, ego cum burgimagistro Antwerpiensi, et graffario Bouton locuti sumus conestabulo — et commendavimus expeditionem inquarteriandi milites, quorum plures adhuc herebant in patria rurali.

Post meridiem D. Castel Rodrigo adivit D. Conestabulum, et hic comitatus est illum ad horam extra Mechliniam qui tendebat Tene-ramundam — et ego cum meo consortio reversus sum Mechlinia Bruxellam.

3 Octobris, Horum omnium fecimus relationem in congregatione statuum, et resolutum ut fieret remonstrantia omnium praetitorum novo gubernatori, et instaretur pro executione, actae acceptionis super subsidio, et patria ruralis eximeretur ab hospitacione militum.

4 Octobris, Praecedens resolutio fuit confirmata, et adderetur amplior instructio de impostis « niemant vreij » et sequela subsidii etc.

En marge : Venia mittendi in Hispaniam.

Item aperta fuit Epistola Marchionis de Castel Rodrigo, qui concedebat licentiam mittendi aliquem e tribus statibus Hispaniam pro informatione Reginae et Ministrorum super constitutione et in-

digentia Brabantiae etc. D. Baro de Wemmel eidem contradicebat, utpote Gubernatore Castel Rodrigo, jam exautorato, istam permissionem jam esse caducam et novam esse petendam a novo Gubernatore, verum coeteri resolverunt prima opportunitate convocandos esse status et desuper tunc deliberandum.

f^o 149. — 6 Octobris, Status miserunt Mechliniam suos deputatos ad congratulandum C. Conestabulo Castiliae, super acceptance gubernii Belgici, et

7 Octobris, illi congratulati sunt et

8 Octobris, exposuerunt illi difficultates quae emergebant, quod patria ruralis maneret gravata milite, et quod conciliarii etc. recusarent solvere impostas — et eodem rogabant causam de Cortenberg remitti ad iudicium etc.

8 Octobris, Reversi sunt Bruxellam et 9 fecerunt suam relationem.

12 Octobris, Rursum destinarunt me cum Barone de Goyck et burgimagistro Bruxellensi, Mechliniam ad Conestabulum pro expeditione praedictarum difficultatum; Conestabulus verba dedit, et nihil amplius, hinc

13 Octobris, ante prandium reversi sumus Bruxellam, et fecimus relationem in statibus.

15 Octobris, D. Baro de Goyck retulit listam ex parte gubernatoris datam 17 millium rationum quas juxta subsidium per duos primos status accordatum solvere deberemus, status in illos consenserunt, dummodo comprehenderentur ordinariae cohortes Brabantiae quae omisse fuerant, et juxta ratam illarum aliae, minuerentur.

Item retulit listam praesidiariorum militum in Brabantia, et supererant 26 cohortes militum equitum qui juxta ratam 17 millium rationum deberent collocari in Brabantia, et deerat locus in civitatibus minoribus, et Magister quarteriarum Teillo, ex parte gubernatoris petiit desuper advisamentum statuum ubi collocari possent — resolutum quod aliquae cohortes adhuc hospitari possent in nonnullis fortalitiis et quod aliquae reformari deberent.

En marge : Imposten.

Item apertae fuerunt opiniones Civitatum super impostis medii anni cessi, in maio praeterito.

16 Octobris, Resolutum ut status opponerent se in concilio Brabantiae D. Antonio Roeloff qui praetendebat esse praetor Lovanien-sis, quia a rege acceperat per supraviventia, et mediantibus pecuniis.

Item resolutum ut ego dictum processum dirigerem, et simul cum Barone de Goyck et burgimagistro Lovaniensi tenderem Mechliniam, responsum daturus Gubernatori super solutione militum, et de hospitatione patriae ruralis, et explicatione in quo statu esset subsidium, et quid fieri in eo deberet.

f^o 149^{vo}. — Item D. Baroni de Pellenbergh data est commissio inquirendi quantum damni intulissent milites jacentes circum Lovanium in pagis, et quid acceperissent a ruralibus et eorum faceret pertinentem relationem in statibus.

Item lecta fuit epistola Marchionis Castel Rodrigo, qua dabat statibus licentiam deputandi aliquem in Hispaniam, ad exponendum Reginae statum patriae — Resolutum fuit licentiam istam modo non sufficere quia dictus Marchio jam abiisset et peti debere licentiam a moderno gubernatore; pluralitas votorum habuit ut a moderno gubernatore venia illa peteretur, et duputati Antwerpiensium sustinuerunt, se rem istam communicare debere suis principalibus.

18 Octobris, Ego una cum Barone de Goyck et Burgimagistro Lovaniensi ex commissione statuum tetendimus mane Mechliniam ad gubernatorem.

19 Octobris, Habuimus audientiam; et post meridiem comparuimus in congregatione deputatorum ex parte D. Gubernatoris, scilicet D. D. princeps de Ligne, comitis de Salater, Spinola veador, audientiarii, et Marmol et deliberatum super difficultatibus.

1) De impostis « niemant vreij » quod ab aulicis, et consiliis infrangebatur, et nisi observaretur, non esset spes obtinendi consensus.

2) Bruxellenses instare ut eximerentur ab hospitatione militum, alias difficultare consensum in subsidio.

3) Antwerpienses praetendere abolitionem licentarum alias non esse sperandum consensum in subsidio.

4) Nos adhuc unum mensem Militibus soluturos dummodo e patria rurali retraherentur et si interim subsidium non compleretur nos nihil amplius praestare posse.

23 Octobris, Iterum fuimus in congregatione praedicta, et denuo deliberatum.

25 Octobris, Missus fuit Bruxellam D. Bergeijck ad consultandum cum consiliis super « inposten niemant vreij ».

30 Octobris, D. legatus Don Stevan de Gamarra tetendit Bruxellam ad inducendos Bruxellenses, ut admitterent in sua Civitate hiberna militum.

Nos cepimus a D. Gubernatore licentiam redeundi Bruxellam.

31 Octobris, Mane reversi sumus, fecimus relationem et inter alia retulimus 5 futuri mensis faciendam esse reformationem, milites retrahendos e patria rurali, et parandam esse pecuniam pro solutione unius mensis etc.

f^o 150. — 8 Novembris, Vice Cancellarius Rijckaert attulit propositionem ex parte D. Conestabuli Gubernatoris, qua petebat ut status adlaborarent pro conclusione subsidii 20 millium rationum etc. et simul pro necessitatibus patriae et militum sublevandis, in gratiam sui adventus consentire vellent subsidium 240 millium florenorum.

9 Novembris, Resolutum instandum esse ut civitates conscriberentur, ad inferendam opinionem quam fecerant super subsidio 20 millium rationem.

11 Novembris, Resolutum ut quod saepius resolutum fuerat, ex occasione infirmitatis Graffarii ad praxim reduceretur, et deputati statuum per vices septimanatim reciperent requestas, et essent relatores earundem ; et R. Vlierbacensis die sequenti inceptit.

15 Novembris. En marge : Venia mittendi Hispaniam.

Exibita fuit permissio data a moderno gubernatore mittendi aliquem e statibus ad Reginam in Hispania ; et Abbates et nobiles, resolverunt mittendum esse, uti burgimagister Lovaniensis, sed Bruxellensis et Antwerpiensis responderunt se referre debere suis magistratibus.

Item productae fuerunt opiniones Civitatum super subsidio 20^m rationum, sed tertium membrum Bruxellensium et Antwerpiensium, absolute recusarunt consentire, Antwerpienses allegabant causam propter impositas licentas, et secundum membrum illorum consenserat tantum sub conditione quod licentiae abolerentur.

(A suivre).